

non moretur cum plebano et invenia[t] sibi servicium alibi sub pena excommunicacionis.^{p)}

Ecel. in Smolnicz: a) *Praeced. decanatus del.* — b) *Praeced. proxime del.* — c) *In marg. Obligacio.* — d) *Suprascr.* — e) *Supra del. sex scr.* — f) *Seq. mei notarii pub[lici] del.* — g) *Totus art. postea adscr.* — h) *Art. in fine pag. scr. in hunc locum pertinet, quod e revocatione in fine art. praecedentis.* Quere infra circa obligationem atque ex annotatione ante hunc art. Obligacio plebani sequitur. Per scr. B. — i) *Praeced. septem verba suprascr.* — k) *Praeced. duo verba in marg. alterius partis pag.* — l) *Corr. per alium script. e fores.* — m) *Scr. sexsus.* — n) *Praeced. dicit [aut dedit] del.* — o) *In marg. Testes.* — p) *In dextera superiori marg. pag. haec annotatio.* Hana, iudex in Luna, recognovit C mansos [?]. Domina Dorrothea de Bllsan recognovit eciam. Pesko de Chlumczan [non ad finem perductum]. Quibus plebanus de Smolnicz dedit ad terminos per quinque grossos, cum tamen solvat per tres grossos.

f. 63 v

Ecclesia in Chlumczan, die VII^a mensis Decembris, hora prima.

Plebanus non fuit domi.

Anka mulier, colonissa ibidem a festo sancti Martini [11. XI.] anni presentis, interrogata dicit, quod plebanus habuit Netham concubinam [a] preterito anno, ex qua unum puerum genuit, qui erit cito in uno anno, que est nutrix circa dominum Jacobum^{a)} in Bllsan in parrochia plebani, et dicit, quod bina vice a tempore, quo est ibidem kolona, fuit ibidem, et nunc habet Ankam, aliam mulierem.

Strenuus Hasko, dominus ibidem, Clemens consul, Dyetmar dictus Janda, villani ibidem, interrogati dicunt, quod Swyecz dictus Kraff est^{b)} plebanus ibidem in XII anno, ut credunt. Dicit Dietimar, quod plebanus habuit ancillam Nyetham nomine medio anno, que peperit puerum circa Hawlonem ibidem in Chlumczan laicum, quem dominus Przibiko, vicarius ibidem, baptisavit, que eciam dominus Hasko audivit, qui est nunc vicarius in Wrzna.

Item dicunt, quod Anka, ancilla ibidem reperta, contraxit per verba de presenti cum Laurencio, campanario ibidem.

Petrus de Libowicz, presbyter circa XIII annis [?], vicarius prius in Horziessowicz et in Tynecz, nunc vicarius ibidem a festo sancti Georgii [23. IV.] anni presentis, interrogatus dicit, quod plebanus de Horzyessowicz ante unum annum habuit quandam concubinam Elzkam, dictam Brnynska et habuit eciam Matyegkam et terciam filiam vicini sui, dictam Wawrziena, quam sepissime visitat, quam defloravit, de quo erunt duo anni in carnisbrivio, que tamen adhuc in crinali incedit, cuius patrem bene ditavit.

Item habuit idem plebanus quandam mulierem antiquam, quam iam evasit, ex qua genuit tres filios, quorum unum tenet in dote novem anno-